



ASIA per Tanaim fluvium, & per lineam à Granduico Oceani versus Boream partem ad dicti fluvij fontem tractam, ab Europa discriminatur, ab Africa verò per Isthmum inter Mare Mediterraneum & Mare rubrum, seu ut quibusdam placet qui Arabiam Africae attribuunt, per lineam ab intimo Maris Persici recessu ad proximum usque Mediterranei littus ductam, reliqua latera Oceanus ambit. Veteres Asiam hanc multifariam diuiserunt. Hodie verò aptissime in quinque diuiditur partes, secundum Magnatum in ea dominantium numerum. Harum prima ea est quae Europae vicina magno Moscouitarum Principi pareat, finiturque glaciali Oceano, fluuio Oby, lacu Kyrtaiz, atque inde rectissima ad mare Caspium ducta linea, vbi videlicet Isthmum facit inter se & Pontum Euxinum. Secunda pars quae magno Tartarorum Chamo subiecta versus Euxinum & Austrum porrigitur ad mare Caspium, fluuium Iaxartem, & Imaum montem: versus Euxinum & Austrum Oceano finitur: versus Zephyrum autem praedicto Moscouitarum regno. Tertiam eius partem Othomannorum stirps possidet, comprehenditque omnes terras inter Euxinum, Aegaeum, Mare magnum, Aegyptum, Rubri ac Persici Marium portus, Tigrim, & Isthmum inter Caspium & Euxinum Maria. Quarta pars comprehendit Sophy siue Persarum Regum Imperium, quod ab Occidente Othomannorum, cum quibus continuum ipsis bellum est, respicit imperium: à Septentrione magni Chami terras: ab Ortu Indi fluvij viciniam: à Meridie verò Oceanum Indicum. Quinta & vltima eius pars est India quam hodie Orientalem vocamus, iisdemque hodie quibus olim finibus terminatur, haec autem non vni tantum ut caetera, sed pluribus subiecta est principibus, quaeuis enim huius provinciarum proprium habet dominum: earumque nonnullae magno Chamo subiectae sunt ac tributariae. Sed nec illud ignorari debet, omnes propemodum locos à praedicto portu Arabiae ad Lampoum usque promontorium Oceano adiacentes (ut proximè trigessimum Borealis latitudinis gradum videre est) ad Portugaliae Regem spectare, aut saltem tributarias ipsi esse. Inter omnes ad Asiam pertinentes insulas (quarum innumerae pene sunt) haec primarias ponunt: Cyprum, in Mari Mediterraneo: in Oceano autem Indico, in quo etiam paruum nostrorum memoria vtraque Iaua reperta est, Taprobanam quam nonnulli Zeilanam insulam esse existimant, Borneo, celebri, Palohan, Mindanao, Gilolo, & Moluccas ex quibus hodie varias aromatum species deportant. Haec tamen omnes vincit Iaponica insula, & noua nuper inuenta Guinea, de qua haecenus dubitatum fuit, ineulane an continuum cum Magellanica fuerit: donec Batauorū, Anglorum, & Hispanorum perlustrationibus Marinis insulam esse comptum est. vnde etiam rectius Magellanicae siue Terrae Australi (quam incognitam permulti quoque vocant) utpote cui vicinior est, quam huic Asiae annumerari conueniret. Haec Terrae pars propter primas in ea monarchias, vti Assyriorum, Persarum, Babyloniorum, & Medorum, non apud prophanos tantum auctores, sed sacrorum quoque Bibliorum scriptores praeter caeteris celebratissima semper fuit. Legimus enim, in hac non modo primos nostros parentes à Deo optimo max. conditos, & in peccatum lapsos postea beneficio Saluatoris Christi summo Patri reconciliatos: sed omnes tam veteris quam noui Testamenti historias (vix paucis exceptis) & scriptas & peractas esse. Asiam hanc Strabo describit libro 11. & 5. proximè sequentibus. Describit eandem Ptolemæus lib. 5. & duobus proximè sequentibus: idem facit in duodecim suis tabulis, tribuitque ipsi non minus quadraginta prouincijs. Attingit eandem Diodorus Siculus initio decimi octauo sui libri. Ex recentioribus nemo particulariter eam descripsit. M. Paulus Venetus, Ludouicus Vartomannus, & Ioannes Monteuiellanus (qui non immerito veluti fabulosus ab alijs ridetur) ea tantum quae in itinere animaduertunt & notatu digna aestimarunt, conscripserunt. De hac etiam consulas Iacobi Nauarchae Iesuitarum ordinis epistolam. Ortelius eandem quoque in magna quadam tabula nuper designauit & conscripsit.



